

quæ in genuinis horum libris non extant; ergo, licet in usu hoc Decretum esset, non tamen in vim legis subvectum fuit.

R. N. Ant. 1°. Enim, cum reciperetur, de his erratis non constabat, sique, licet erroneo quodam supposito, nihilominus receptum fuit. 2°. Quia receptum est ideo, quod utiles essent sententiæ ad regulanda judicia, cujuscumque sint, sive hujus Patris et Concilii, cui inscribuntur, sive alterius; sive liber e quo petita, sit genuinus hujus Patris partus, sub cujus nomine proferuntur, sive scriptoris alterius. Et vero ita esse, istud argumento est, quod, ut notant alii, non tantum plures textus supposititii, vel certe suspecti non solum relati fuerint in Decretales GREGORII IX., sed in vim legis retenti, cujusmodi jam supra exemplum dedi in *Not. II.* de remedio possessorio contra spoliatores. Vid. etiam BOEHM. *ad Tit. de Constitut.* Quibus adde: per excessum hic delinqui a nonnullis, dum, quod GRATIANUS sæpe hallucinatus dicatur, nec hodie sub nomine Concilii, vel auctoris, e quo GRATIANUS illa recitarit, non reperiantur; continuo singula ut falsa et apocrypha explodunt: certum siquidem est, multa vera esse, quæ nobis temporum subtraxit vetustas, vel adhucdum occuluit. Quidni videre multa GRATIANUS potuit, quæ vel temporum perierunt injuria, vel modo delitescunt sub bibliothecarum pulveribus?

38. *Inst. 2.* Sed ope critices hoc ævo patuit, in Decreto multa adhuc extare spuria, adulterina, recentioribus juribus, hodiernæ disciplinæ contraria; ergo si quam vim legalem habuisset Decretum antea, illam saltem deperdidit.

R. N. *Cons.* Nam 1°. etsi hoc constare dicatur, satius est, expeditque in vim legis retineri, quod eo fuerat assumptum, quam idcirco constituta semel immutare judicia. 2°. Jam supra in *concl.* dictum, eatenus Decretum habere vim legis, quatenus receptum est, illive posteriori jure non derogatum; si quid ergo disciplina hodierna, ac recentiora jura aliud quid statuunt, his modo standum est, cum generaliter jus posterius derogat priori.

39. *Inst. 3. L. Arianus ff. de O. et A. Ubi de obligando queritur, propensiores esse debemus nos, si habeamus occasionem ad negandum.* Atqui magna habetur occasio ad negandum, quod Decretum auctoritatem legalem possideat; nam, teste PENNA, *Decis. 480.* juxta Rotam Romanam ejus Compilator nec legis condendæ auctoritatem habuit, nec ab aliquo Romano Pontifice liber ille tanquam authenticus et legalis approbatus fuit; ergo.

R. 1°. Lex illa de obligatione civili, puta ex contractu vel simili causa, agit; unde huc impertinens est.

R. 2°. *N. min.* de occasione solida et fundata.

*Ad prob. N. Cons.* quia ex solo usu, praxi et receptione vim legalem acquisivit.

40. *Inst. 4.* Decretum favet Protestantibus aliisque Novatoribus; horum enim complures inde suæ sectæ petunt præsidia; sic STRYCKIUS prælectionibus suis nomen dedit: *Præsidii Religionis Evangelicæ ex jure canonico*, scilicet Decreto: ita FEUSTKING. *Præsidia veritatis ex jure canonico* vulgavit: PFAFFIUS *dogmata Protestantica ex jure canonico comprobata: Auctor Asyli innocentie*

*Quesnellianæ in jure canonico quesiti*; plerique vero Decretum respiciunt; ergo rectius asseritur, nunquam huic Decreto vim juris accessisse.

R. N. A. Numquid etiam ex divinis Scripturis et SS. Patribus quærunt præsidia? Quantum S. AUGUSTINO se jactant JANSENIUS, QUESNELLUS, eorumque asseclæ, cum prior etiam libro suo nomen daret: AUGUSTINUS CORNELII JANSENI, etc. Sed quid inde? Nimirum hic omnium sectariorum genius est, male applicatis Scripturæ sacræ et SS. PP. sententiis, suis dogmatibus dare fucum veritatis. At nihil in Decreto esse, quod Novatoribus faveat, Theologi suis quique locis, ubi controversia poscit, nitide demonstrant.

41. *Obj. II. cont. Concl. 2<sup>am</sup>.* Decretum vim legalem habet a summorum approbatione Pontificum; ergo non solum ex usu et recepto. *Prob. ant. 1°.* teste MOLFESIO *Tom. 1. Tr. 9. Cap. 3.* apud REIFFENSTUEL in *Proem. Jur. Can.*, Decretum approbavit GELASIUS II. Romanus Pontifex. 2°. EUGENIUS III. teste TRITHEMIO. 3°. Teste Cardinali TUSCHO *Lit. D. Concl. 110.* contenta in Decreto sunt leges canonicæ effectæ, ut in Bulla fel. rec. GREGORII XIII; ergo.

R. N. *Ant. Ad 1<sup>am</sup>.* MOLFESIUM, si quidem id asserat, non leviter hallucinatum; GELASIUS enim anno 449. obiit; Decretum vero GRATIANI primum anno 1151. vel sequenti est editum; a quo tempore nullus extat Romanorum Pontifex, qui tulisset nomen GELASII. Quis ergo GELASIUS, aut quomodo GELASIUS II. id approbare potuit?

*Ad 2<sup>am</sup>.* R. Si verum est, quod ait TRITHEMIUS (hoc enim ejus testimonium rejicitur ut suspectum a plerisque, cum ea EUGENII approbatio nusquam extet) EUGENIUS solum, ut libros cæteros, in ordine ad scholasticum usum approbasse dici potest.

*Ad 3<sup>am</sup>.* R. Equidem hanc opinionem fuisse Cardinalis TUSCHI, aliorumque; sed si Bullam ipsam attente lustremus, ea solum emendationem Decreti approbat; nullatenus vero Canones in Decreto contentos in vim legis; ait enim Pontifex, *ut quæ emendata et reposita sunt, quam diligentissime retineantur.* Scopus igitur GREGORII XIII. non alius fuit, quam collectionem recens purgatam et correctam laudare, et præferre antiquioribus, ideoque vetat, ne privatus alius *quid addat, eam mutet, vel minuat.* At hoc nondum est, Decretum ita emendatum ad auctoritatem juris evehere.

## §. II.

*Utrum Canones Apostolorum in Corpore Juris genuini sint et authentici?*

42. *Nota:* Canones, qui sub Apostolorum nomine referuntur in Corpore juris esse numero 85. de quibus hoc loco illud controvertitur, sintne vere ab ipsis conditi Apostolis, licet per CLEMENTEM Romanum scripti nobisque traditi, atque ita, ratione suæ originis, emineant auctoritate legis? Eorum enim plures, quatenus ad regulas Ecclesiasticas fuisse a Pontificibus assumptos evincitur, vim accepisse legis, cujuscumque deinde sint, nemo ambigit ex Catholicis.

In illa vero controversia, mirum, quanta varietate et sentiant, et loquantur Canonistæ, Critici, Theologi, ad se invicem collisi. Singulorum authentiam

libro integro vindicandam TURRIANUS suscepit, quocum sentiant Canonistæ plurimi et nobiles COVAR., BARBOSA, GONZALEZ, SCHAMBOGEN, WIESTNER, SCHMIER, SCHMALZGRUBER, PICHLER, etc. quibus se iunxit SEVERIN. BINIUS *Tom. I. Conc. Notis in Canones Apostolor.* duobus duntaxat exceptis, nimirum 63. et 84.

A Canonistis vero dissentiunt Critici plerique, compluresque Theologi, rursus tamen inter se divisi. Primo quidem, duce JOANNE DALLÆO Calvinii sectatore strenuo, A catholici plerique tanquam adulterinas merces rejiciunt singulos, omnique vi legis exspoliant penitus; ut ne quidem vim legis habeant, quatenus eo assumpti ab Ecclesia.

BARONIUS ad an. 100. 52. priores solum agnoscit authenticos; BELLARMINUS *Lib. de Scriptorib. Eccles. in Clemente* tantum 50. primos, licet reliquos asserat recipi a Græcis. Uterque suos habet sectatores. Qui vero cætera ex scriptoribus Catholicis omnes supposititios aiunt, in figendo duntaxat ævo, quo circiter primum in Ecclesia natales habuerint, dissentiant.

Illustrissimus de MARCA *Lib. 3. de concordia Sacerdot. et Imper. Cap. 2.* posteriores autumat anno Christi 258. antiquiores tamen Concilio generali Nicæno I. Huic consentit PAGI *in Crit. ad Annal. Baron. ad annum 100.* LUDOVICUS DU MESNIL *Lib. 3. de Doctrin. et Discipl. Eccles.* primum ait fuisse NECTARIUM, qui eorum in Synodo Constantinopolitana anno 394. meminisset. Eruditissimus ALBASPINÆUS Aurelianensis Episcopus *Lib. 1. Observat. c. 13.* Canones illos inquit esse epitomen Conciliorum privatorum, rerumque sancitarum a privatis Episcopis, qui ante Conc. Nicænum I. administrabant Ecclesias. Demum NATALIS ALEXANDER *Hist. Eccles. sec. I. Diss. 18.* non esse seculo VI. antiquiores contendit.

43. *Dico I.* Canones sic dicti Apostolorum omnes supposititii sunt, neque ab Apostolis conditi, neque a S. CLEMENTE scripti; sed verius a Conciliis particularibus, aut etiam Episcopis successive conditi; unde *Apostolorum*, id est, *virorum Apostolicorum* nomen adepti.

*Prob. I.* Canones illi usque ad medium sec. III. erant prorsus incogniti; ergo ipsorum Apostolorum dici nequeunt, scriptique a CLEMENTE; secus enim, qui usque adeo latere potuissent? *Ant.* patet inde, quia ante medium sec. III. nullibi reperire est eorum vel indicium, vel vestigium, cum tamen gravis urgensque posceret subinde necessitas, ut eorum fieret mentio, ut 1<sup>o</sup>. in controversia de celebrando Paschate orta circa finem sec. II. VICTOREM S. Pontificem inter et Orientales volentes Pascha celebrandum esse cum Judæis Luna 14<sup>a</sup> mensis primi, contra, ac volebat VICTOR. Pars utraque ad consuetudinem appellabat. At facile sopita fuisset controversia, si jam tum Canones illi extitissent; cum enim Canone VII. diserte statuatur: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus sanctum diem Paschæ ante venum æquinotium cum Judæis celebraverit, deponitor*, facile fuisset VICTORI et Occidentalibus refellere et ad silentium compellere Orientales; neque hunc Canonem neglexisset VICTOR: sed neque, ex reverentia in Apostolos, ausi fuissent Orientales obstrepere, utpote plerique viri sancti et postea Martyres. 2<sup>o</sup>. In gravissima controversia de iis, qui ab hæreticis baptizati, utrum rebaptizandi sint, quæ FIRMILIANUM et Asiaticos tum S. CYPRIANUM et Afros collisit cum S. STEPHANO S. Pontifice, prioribus affirmantibus, hoc

vero negante, proque se traditionem allegante. Constat, quantum se opposuerint ambo FIRMILIANUS et CYPRIANUS corrasis undique argumentis: At cur CYPRIANUS nunquam ad illos Canones confugit suæ causæ adeo faventes? Canone enim 43. edicitur: *Episcopum, aut Presbyterum, qui hæreticorum baptismum susceperit, deponi præcipimus*; et ne de iis solum hæreticis dictum putetur, qui formam contumpunt, additur ratio communis pro hæreticis omnibus: *Quæ enim conventio inter Christum et Belial, aut quæ particula fidei cum infideli?* Canone vero sequenti jubetur deponi, qui pollutum ab impiis non rebaptizaverit. Ac Canone 67. *Qui ab hæreticis baptizati, neque fideles, neque Clerici esse possunt.*

*Respondet* TURRIANUS, meminisse tamen eorum Canonem 1<sup>o</sup>. Pontifices priores in Decretalibus suis epistolis. 2<sup>o</sup>. TERTULLIANUM *Libro contra Praxeam.* 3<sup>o</sup>. S. ATHANASIVM in *Synopsi* referre illos inter Hagiographa. 4<sup>o</sup>. Imo ab ORIGENE citari Canonem 51. *Libro contra Celsum.*

At *contra* 1<sup>um</sup>. est, quod pleræque illorum Pontificum ante SIRICIUM epistolæ sint supposititiæ, de quo vide Tr. de Legib. *Contra* 2<sup>um</sup>. et 3<sup>um</sup>. Quod nihil prorsus vel verbulo referat TERTULLIANUS *cit. Lib.* nec S. ATHANASIVS in *Synopsi*; unde mirum, qui hoc in Bibliothecam SIXTI Senensis, qua deceptus videtur TURRIANUS, irreperit. *Contra* 4<sup>um</sup>. Equidem testatur ibi ORIGENES, lapsos peracta penitentia in Ecclesiæ communionem receptos fuisse, id quod, ut fiat, etiam citato Canone præcipitur: at hinc non sequitur, illum citatum fuisse ab ORIGENE, cum eum ne nominet quidem; sed ORIGENES solum refert, suo tempore lapsos recipi; atque inde forsitan istorum compiler Canonum ansam sumpsit, hunc Canonem ceu ab Apostolis conditum continendi.

44. *Prob. II.* GELASIUS Papa in Concil. Rom. habito an. 494. presentibus Episcopis 70. de Canonibus Apostolorum ita conceptis verbis pronunciat: *Liber Canonum Apostolorum est apocryphus*; ergo.

*Respondet* 1<sup>o</sup>. TURRIANUS, librum Canonum Apostolorum, de quo GELASIUS, esse alium, atque distinctum a Canonibus Apostolorum 83. quem scilicet olim sub Apostolorum nomine continerant Priscillianistæ, texte S. LEONE M. *epist. 93. ad Turribium*, qua inquit, se Priscillianistarum *multos corruptissimos codices, qui Canonici titulatur, invenisse, et apocryphas scripturas, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum.* At

*Contra* est 1<sup>o</sup>. Quod GELASIUS toto in Decreto, nullius alterius libri Canonum Apostolorum meminerit tanquam Ecclesiastici atque authenticici; cum tamen alias, instituto diligenti examine, hos secernat a spuriis; ergo nullum agnovit nisi apocryphum. Et vero 2<sup>o</sup>. si duo tunc fuissent codices sub nomine Canonum Apostolorum, genuinus alter, alter spurius, distinguere debuisset Pontifex unum ab altero, dicereque: *Liber, qui falso a Priscillianistis dicitur Canonum Apostolorum apocryphus*, ne secus condemnatione absoluta et generali utrumque videretur et verum et supposititium involvere. At nulla est dictinctione usus. S. LEO autem, etsi a Priscillianistis Apostolorum sub nomine libros divulgatos asserat, quod et verum est, nullius tamen meminit sub hoc titulo *Canonum Apostolorum*, de quo est quæstio. Porro HUBERTUS Cardinalis respondens NICÆTÆ PECTORATO, qui

Canone 65. Apostolorum pugnabat adversus Latinos sabbato jejunantes, ait, hoc, id est, sabbato non jejunandum, *asserere conaris ex apocryphis libris et Canonibus pari sententia repudiatis*. At hic Canon a NICÆTA prolatus non erat depromptus ex Priscillianistarum codice, sed codice Ecclesie Orientalis; quæ Canones 85. ut Apostolorum in Synodo Quini-sexta, sive Trullana susceperat, inter quos contra jejunium sabbatinum pugnat Canon 65.; ergo liber Canonum damnatus a GELASIO idem ille est, qui Canones 85. a Græcis receptos continebat.

*Respondet 2º.* BELLARMINUS, Decretum GELASII non ferire priores 50. Canones Apostolis inscriptos, sed posteriores 35. a Græcis superadditos. Sed

*Contra est*, quod si GELASIIUS 50. priores habuisset pro vere Apostolicis, non dixisset simpliciter, ac citra distinctionem: *Liber Canonum Apostolorum apocryphus*; imo non potuisset, tum quod 50. illi partem potiore libri conficiant; tum ne aurum reprobarer cum paleis, lectoremque in errorem induceret.

*Respondet 3º.* BARONIUS, Canones dici apocryphos, quod, etsi 52. priores Apostolorum sint, non tamen ab Ecclesia sint relati in censum librorum S. Scripturæ T. N. non vero hoc sensu, ut eos ex librorum Ecclesiasticorum albo expungeret. At

*Contra est 1º.* Quod si GELASIIUS Canones illos agnovisset ut genuinum Apostolorum partum, cur illos, ut cætera Apostolorum scripta, in librorum Canonicorum censum non retulit? 2º. Quod GELASIIUS cit. loc. tres distinguat librorum ordines, inque primo collocet libros Canonicos T. V. et N., in secundo libros Conciliorum, SS. PP. etc., in tertio libros supposititios, sive apocryphos; at ne in secundo quidem ordine reposuit, ut debuisset, nisi ex librorum Ecclesiasticorum albo voluisset expungere; ergo non tantum vocat apocryphos respectu librorum divinatorum primi ordinis, sed etiam respectu librorum secundi ordinis, h. e. Ecclesiasticorum. Ubi tamen

*Observa.* Dum dicitur, Canones illos declaratos esse apocryphos, etiam respectu librorum secundi ordinis, non iste sensus est, quod GELASIIUS librum illorum Canonum rejecerit penitus a *scriptis Ecclesiasticis*; sed quod declarando illum esse *apocryphum*, intendat illum solum non esse a Clemente scriptum, cui passim tribuebatur; eoque sensu et alios libros in tertio ordine vocat apocryphos, quod non sint eorum libri, quibus erant falso attributi, ut: Itinerarium Petri, octo Clementis libri, Actus Andreae, etc. quibus immiscet Canones Apostolorum.

45. *Prob. III.* Quod nec ab EUSEBIO, nec HIERONYMO, nec Patribus aliis fuerint adnumerati aut Apostolorum scriptis, aut S. CLEMENTIS; ac dubia fuerit eorum auctoritas, suspectaque, ipso teste DIONYSIO EXIGUO, qui ineunte sec. VI. solos 50. priores suæ Collectioni inseruit, dum in *Præfat.* inquit: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de græco transtulimus, quibus, quia plurimi consensum non præbuerunt, hoc ipsum ignorare vestram nolumus sanctitatem.* Demum a S. ISIDORO, hocque teste, a Patribus aliis sint rejecti apud GRATIAN. *Dist. 16. c. 1.*

Si quæras, quo igitur seculo vulgari cœperint? R. Apud Latinos probabilis non ante sec. VI. ex DIONYSIO citato, qui eos primus de græco translato

in collectione sua Latinis obtulit; atque eatenus ALEXANDRO NATALI consentio; quidquid sit de Græcis, quibus jam ante videntur fuisse cogniti.

46. *Obj. I.* Ex Patribus et Conciliis priorum seculorum, 1º. sæpe in suis decretis provocant ad *Canones Apostolicos, leges antiquas, doctrinam Apostolicam, canones antiquos, regulas, leges Ecclesiasticas*, etc. Sed per hæc ipsos Apostolorum Canones significant; ergo. *Prob. Maj.* Sic 1. CONSTANTINUS M. *epist. ad Euseb. Cæsareens.* quæ extat apud EUSEBIUM *in vita Constant. M.* illum laudat, quod Domini mandatum, et *Apostolicum* servare *Canonem* decreverit, repudiando Episcopatum Antiochenæ Ecclesie, et permanendo in suo. Sed is est Canon 13. Apostolorum. 2. S. BASILIUS *epist. ad Amphil. Diaconum* a gradu ob crimen dejectum, a communione tamen non arcet, datque rationem: *quoniam antiquus est canon, ut, etc.*; at hic est Canon 14. Apostolorum. Eodem modo loquuntur alii. *Prob. etiam min.* Quia nihil aliud assignari potest.

2º. Sæpe iidem, atque iisdem pene verbis decernunt, quod Canones Apostolorum; ergo. *Prob. Ant.* Can. 5. Synodus generalis Nicæna I. 1. laudat *antiquum canonem*, quo inhibetur Episcopis, ne excommunicatos ab altero ipsi in communionem recipiant: sed hic inter Apostolorum Canones ordine 12. est. 2. Can. 15. vetat migrationes a parœcia una ad alteram, tanquam *præter canonem factas*; nimirum 15. Apostolorum. 3. Can. 1. statuit: *Si quis se ipsum exciderit, ne in Clerum admittatur*: sed hoc idem Canone 20. 21. 23. Apostolorum cavetur; ergo.

R. *Ad 1ºm. N. min. et ejus prob.* Sed post Apostolorum tempora horum successores Episcopi vel motu proprio, vel in conventibus, metu persecutionum occultis, multa ordinabant circa disciplinam Ecclesie, quæ postea, usu ac diuturnis fidelium moribus firmata, nomen consecuta sunt *Canonis Apostolici*, uti et hodie Decreta Romanorum Pontificum passim vocantur *Apostolici*, uti et hodie Decreta Romanorum Pontificum passim vocantur *Constitutiones Apostolicæ*; item: *Regulæ Ecclesiasticæ, Canones antiqui*, etc. Manifestum hoc fit ex Can. Nicæno 13. *De his, qui ad exitum veniunt lex antiqua servetur; ita ut, si quis egreditur corpore, ultimo et necessario viatico minime privetur.* At ea *lex antiqua* non extat inter Apostolorum Canones. Pariter Synodus Ancyrana habita an. 444. Priorem, ait, definitionem *præcepisse, ut mulieres, quæ fornicatæ, fetus in utero perimerent, usque ad exitum vite ab Ecclesia removerentur*: at illam priorem definitionem nec in Apostolorum Canonibus, nec ulla anteriore Synodo videre est. Hinc fit verisimilius, eum, qui Canones illos compilavit, quod in Patribus et Synodis antiquis sub nomine *Canonis Apostolici, antiqui*, etc. laudatum invenit, postea divendidisse sub nomine Canonum Apostolorum.

*Ad 2ºm. N. Cons.* Quia, ut modo dictum, quod compilator ibi reperit sancitum, vel confirmatum ex anteriore disciplina Ecclesie, suæ compilationi inseruit, id quod ex ipsa Nicæna Synodo, *Can. 1. cit.* fit perspicuum; si enim Canones Apostolorum jam extitissent ante Nicænam Synodum, Origenes adolescens piissimus æque ac eruditissimus circa annum 208. quo tempore teste EUSEBIO *Lib. 6. c. 7.* jam tum præerat scholæ Alexandrinæ Ecclesie, non excidisset semetipsum; quod tamen fecit, quin propterea reprehensionem ferret a DEMETRIO Patriarcha Alexandrino; aut abdicaretur a docendi munere, aut ad triennium excommunicaretur; quod tamen sta-

tuitur Canone Apostolorum 23.: imo insuper a THEOCTISTO Cæsareæ, et ALEXANDRO Jerosolymorum Episcopis fuit promotus Presbyter; quod non fecissent, si extitissent illi Canones. Equidem postea DEMETRIUS, mutato in ORIGENEM animo, excisionem illam objecit, quin tamen vel verbo innueret, eum idcirco violasse Apostolorum Canones. Canon igitur Nicænus 1. vel morem innuit Ecclesiæ, vel legem aliquam latam ab Episcopis, ORIGENIS occasione, qui se exciderat.

47. *Obj. II.* Synodus Trullana *Can. 2.*, Synodus Generalis VII. *Can. 1. 5. 10.*, Synodus Romana sub GREGORIO VII. ipsaque Tridentina *Sess. 25. de Reform. c. 1.* Ex Patribus vero S. JOANNES DAMASCENUS *Lib. 4. de fide Orthod.*, etc. illos Canones citant sub nomine *Apostolorum*. LEO IV. *in ep. ad Episcopos Britanniae* data anno 849: *Quibus, inquit, in omnibus judiciis Ecclesiasticis utimur, sunt Canones Apostolorum; ergo.*

R. D. A. Citant illos Canones sub nomine Apostolorum, quia ita illos citandi mos invaluerat, ob DIONYSIUM EXIGUUM, qui sub hoc nomine illos apud Latinos divulgaverat, unde passim Apostolorum dicebantur C. Ut indicarent, revera Apostolorum esse N. Patet responsio illustri exemplo URBANI II. qui sec. XI. cathedram D. Petri tenuit; dum *epist. ad Præpositum S. Juventii* apud GRATIANUM *Dist. 32. c. 6.* inquit: *Canones Apostolorum, scilicet 45. 46. hæreticorum baptismum lavacrum diaboli appellant; tum eos subdit una cum CYPRIANO merito a CORNELIO et STEPHANO fuisse reprehensos. En, Canones Apostolorum vocat; nec tamen credit, eos ab Apostolis conditos, secus enim eos merito reprehensos non diceret. LEO IV. ait illos in judiciis adhiberi; quia, cum saltem utilia continerent, ut ait ISIDORUS supra citatus, eos Ecclesia usu recepit; ac quidem ex parte solum, juxta GRATIANUM *Dist. 32. c. 6. cit. nimirum 50. priores, vel exclusis Canone 45. et 46. vel iis dando orthodoxum sensum.**

48. *Obj. II.* Juxta Correctores Romanos ad *Dist. 16. c. 4. Canones Apostolorum non sunt inter apocrypha deputandi*, quia eos recepit Synodus VI. quam HADRIANUS recepit. Item, juxta HINC MARUM Rhemens. qui *Opus. 55. Capit. de iis ipsis* inquit: *Sed B. Gelasius in catalogo.... nec inter apocrypha eos misit; ergo.*

R. Ad 1<sup>um</sup>. D. Non sunt inter apocrypha deputandi aliquo sensu supra exposito C. Quatenus tribuuntur ipsis Apostolis, vel CLEMENTI, qui quasi ab Apostolis acceptos fertur scripsisse N. Eodem modo HINC MARUM explica; vel responde, quod notant Critici, eum incidisse in catalogum GELASII mendosum et mutilum; nam GELASII revera eos misisse inter apocrypha, ex supra dictis liquet. Sed et HINC MARUS ipse ut supposititios asserit; prius enim dixerat: *Cæterum iidem Canones, qui vocantur Apostolorum, non ab Apostolis conscripti creduntur.*

## CAPUT II.

## DE JURE PROPRIETATIS.

Jus activum, de quo *num. 3.* in jus proprietatis et jurisdictionis dividitur; utrumque enim juris activi naturam retinet, cum utrumque ex suo conceptu sit legitima potestas obligandi alios. At, misso jure jurisdictionis, quod huc non attinet, solum prius hic considerandum venit.

## ARTICULUS I.

## QUID SIT JUS PROPRIETATIS?

49. *Dico.* Jus proprietatis est potestas legitima, voluntate sua moraliter obligandi alios ad aliquid, sicque eorum restringendi libertatem, principaliter in favorem et bonum proprium obligantis. Definitio quoad rem et sensum est communis omnium, servatque bonæ definitionis leges, ut patebit ex nunc dicendis.

*Dicitur 1<sup>o</sup>.* Potestas legitima, h. e. munita vel nixa lege aut naturali, aut divina, aut humana, in ordine vel ad licentiam actus, vel valorem; quod si enim nulla ei assistat lex, potestas non jus, sed vis et tyrannis erit. Triplicis verò generis leges hic discerni debent. 1. Leges, quæ facultatem tribuunt alicui de re pro sua voluntate disponendi. Sine his haberi jus proprietatis non potest, ab iisque potestas legitima oritur. 2. Leges, quæ reddunt facultatem de re licite disponendi. Istæ ad jus proprietatis non sunt absolute necessariæ; cum fieri possit, ut, etsi hic et nunc prohibeatur de re disponere; retineat tamen jus ad valide disponendum: sic qui vovit hos 100. aureos se daturum pauperi, postea testamento valide eosdem legat diviti, etsi peccet contra votum. 3. Leges, quæ pro certo solum tempore, certisque casibus reddunt dispositionem etiam invalidam. Illæ, etsi jus proprietatis ligent; impediunt; non tamen ideo simpliciter tollunt: sic pupillus et prodigus declaratus, etsi sine auctoritate tutoris non possint de rebus suis valide disponere in actu secundo, retinent tamen disponendi potestatem in actu primo, ac verum jus proprietatis, sicut potentia videndi retinetur noctu, cum actus secundus essentiam non constituat, sed supponat. Et patet inde, quia, sublato legis vinculo, mutatisque circumstantiis possunt, etiam in actu secundo, disponere valide, quin lex vel Princeps censeatur illis conferre jus novum proprietatis.

*Dicitur 2<sup>o</sup>.* *Voluntate sua;* pendet enim a voluntate habentis jus, ab eaque mensuratur obligatio alterius; si enim habens jus eo cederet libere, ut v. g. si nollet te habere amplius obligatum ad restituendum, solvendum, vel daret facultatem auferendi, hoc ipso cessaret in te obligatio restituendi, solvendi, non auferendi. Hinc natum illud axioma juris: *volenti non fit injuria.*